



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

IX. De obedientia, & subjectione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

coram magnatibus non libenter appreas.

Cum humilibus & simplicibus,
cum devotis & morigeratis, sociare:
& quæ ædificationis sunt, pertracta.

Non sis familiaris alicui mulieri;
sed in communi, omnes bonas mu-
lieres Deo commendata.

Soli Deo & Angelis ejus opta fa-
miliaris esse; & hominum notitiam
devita.

2. Charitas habenda est ad omnes,
sed familiaritas non expedit.

Quandoque accidit, ut persona
ignota, ex bona fama lucecat: cu-
jus tamen præsentia oculos intuen-
tium offuscatur.

Putamus aliquando aliis placere
ex coniunctione nostra; & incipi-
mus magis displicere, ex morum
improbitate in nobis considerata.

C A P U T I X.

De obedientia & subjectione.

1. **V**ALDE magnum eit, in obe-
dientia stare, & sub Præla-
to vivere, & sui juris non esse.

Multò

Multò tutius est , stare in subje-
ctione , quām in prælatura.

Multi sunt sub obedientia , magis
ex necessitate , quām ex charitate : &
illi pœnam habent , & leviter mur-
murant . Nec libertatem mentis ac-
quirent , nisi ex toto corde propter
Deum se subjiciant .

Curre hīc vel ibi : non invenies
quietem , nisi in humili subjectione
sub Prælati regimine .

Imaginatio locorum & mutatio
multos fecellit .

2. Verum est , quòd unusquisque
libenter agit pro sensu suo ; & incli-
natur ad eos magis , qui secum sen-
tiunt .

Sed si DEUS est inter nos , necesse
est , ut relinquamus etiam quando-
que nostrum sentire , propter bo-
num pacis .

Quis est ita sapiens , qui omnia
plene scire potest ?

Ergo , noli nimis in sensu tuo con-
fidere : sed velis etiam libenter alio-
rum sensum audire .

Si bonum est tuum sentire , & hoc
ipsum

ipsum propter Deum dimitis , & alium sequeris , magis exinde proficies.

3. Audivi enim s̄epe, securius esse audire & accipere consilium , quām dare.

Potest etiam contingere , ut bonum sit uniuscujusque sentire : sed nolle aliis acquiescere , cūm id ratio aut causa postulat, signum est superbiz & pertinaciæ.

C A P U T X.

De cavenda superfluitate verborum.

1. **C**AVEAS tumultum hominum, quantūm potes : multūm enim impedit tractatus s̄ecularium gestorum , etiam si simplici intentione proferantur.

Citè enim inquinamur vanitate, & captivamur.

Velle me pluries tacuisse , & inter homines non fuisse.

Sed quare tam libenter loquimur, & invicem fabulamur : cūm tamen raro,